



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Flores Meditationvm**

**Bebius, Philippus**


**Coloniae Agripp., 1623**

Medit. 39. De dilectione mutua & persecutione.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59636](#)

*Psa l. 8.6* pibus & Imperatoribus honorari, sicut cum  
S. Antonio fecit Constantinus M. & in furu-  
ra, vbi gloria & honore coronantur.



## MEDITATIO XXXIX. DE DILECTIONE ET PERSECUTIONE.

### PVNCTA MEDITATIONIS.

*Ioan. 15. I.* Hæc mando vobis, vt diligatis inui-  
cem. Si mundus vos odit, scitote quia  
me priorem odio habuit.

*II.* Non est seruus maior Domino, vos  
persequentur, sermonem vestrum non  
seruabunt; quia eadem mecum ege-  
runt.

*III.* Ex incarnatione & doctrina (quia  
Christus venit, & docuit & miracu-  
la fecit) augetur Iudaorum peccatum,  
vt sint inexcusabiles.

---

### DOCVMENTA.

*I.* **H**ÆC mando, &c. Christus Apostolis,  
Hac nobis omnibus Christianis, manda-  
uit caritatem mutuā, tum quia illa est,  
*Vinculum perfectionis*: tum quia omnia  
præcepta, teste S. Gregorio hom. 27. in Euan-  
gel., in sola caritate solidantur, sicut in arbo-  
re rami omnes, à radice exēnt, & conseruan-  
tur,

MEDITATIONVM. 548

tur, adeò ut opus externū, quantumvis bonum appareat, nihil habeat gratiæ apud Deum, nisi à caritate procedat.

2. *Si mundus odit.* Hæc consolatio duplex est, pro pīis hominibus, qui sāpius à mūdanis odio ac derisione appetuntur, tum quia Christum in eo Ducem habent; tum etiā, quia inde argumentum certum sumunt, se ad mundum non perire, quippe, qui nihil suam (hoc est, non amorem opum, honorum, cupiditatum) in illis inueniat.

3. *Non est seruus maior Domino.* Homo dicitur Christi seruus. 1. de causis. 1. quia ad imaginem Dei creatus. 2. quia pretioso Christi sanguine à seruitute peccati ac Dæmonis redemptus. 3. quia ad fidem Catholicam vocatus. 4. quia in Baptismo Sathanā eiurato, ac Pompis eius, Christo Domino addictus. 5. si religiosus sis aut Sacerdos, quia voto, & majoris perfectionis obligatione adstrictus, & quasi totus in spiritale holocaustum Deo obligatus.

4. *Vos persequentur.* Christus moneret suos de persecutione, ut scias te, tum demum esse Christi discipulū; si eum præcipue in aduersis, ac patientia imiteris: iuxta illud omnes, qui volunt pīe viuere, persecutionem, à mundo, carne, Dæmone patientur.

5. *Sinon venissim ēre, peccatum non haberent.* Si Iudæi fuērē inexcusabiles, multò magis nos erimus; post dilatam toto orbe fidem, & cognitionem perfectionis, maximè. Tu quī tot beneficia spiritualia; tot visitationes à Deo suscepisti. Ut inter cetera. 1. quod Christia-

nis parentibus ortus. 2. à Catholicis præceptoribus tam piè institutus. 3. in B. Virginis Sodalitate, tot animis ad virtutem informatus. 4. toties sacrosanctis Ecclesiae Sacramentis confirmatus. 5. tot diuinis inspirationibus illustratus. 6. tot concionibus atque exhortationibus facris instructus. 7. tot Sanctorum vita ac rebus gestis, ad omne bonum incitatus: Ut merito fructum Deo tuo ferre debeas, aut non habiturus sis, vel minimum titulum, quo te excusare possis, si vitam perfectam, ac talibus beneficijs dignam non traducas.

6. Causa vna ex præcipuis, cum Iudæi (& maximè Pharisæi) Christum pro verò Messia non agnouerint, fuit 1. Suprema Christi humilitas, ipsorumque superbia, cum putarent Mefianum (de quo tam multa & tam magnifica in sacris litteris habentur) tam abiectum, aut pauperem esse non posse; nec primum aduentum ad mundi redemptionem factum, à secundo (ad eiusdē iudicium futuro) distinguere sciebant, ac in tali iudicio persistebat. Ut discas quā periculorum sit ad opes, honores, aliasq; mundi vanitates inordinate affici, suoque iudicio nimium adhærere.

7. *Odio habuerunt me gratis.* Hæc est pœna grauissima sæpeque in punitionem peccatorum præuenientium infligitur: vt homo incidat in obstinationem & odium Dei, itaque vide ut in timore Dei ac humilitate persistas.

MEDL